



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XII. Ea quæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

hanc proinde collusionem improbat Pontifex in hoc cap. & eos, qui inventi fuerint talia fecisse, ab Ecclesijs removendos statuit, officio & beneficio privandos, ob commissam Simoniam, appellatione remota.

SUMMARIUM.

Qui censum patiscitur, ut vel ipse, vel sui ad vacuas Ecclesias presententur, Simoniam committit.

Notandum. Neque autoritate Episcopi interveniente, pactum hoc simoniacum fieri posse: quamvis enim tam facile non presumatur dolosa hæc & simoniaca pactio, si Episcopi autoritas intervenerit; quod si tamen contrarium aut probetur, aut prudenter conijciatur ex varijs circumstantijs, non tantum nulla erunt, quæ facta fuerunt, juxta cap. 8. sed etiam pœna collusionis non evitabitur.

CAPITULUM XII.

Ea quæ.

PARAPHRASIS.

Quod illi, qui pecuniam, quam collegerant per Regnum Angliæ, tanquam tributum Romanæ Sedi debitum, cui regnum hoc ex pietate suorum Regum tributarium fuisse perhibetur, Romam detulerunt ad limina Apostolorum, occasione hujus itineris Ecclesias & Parochias sibi subditas immoderatis procurationibus, & exactionibus vexaverint, rescivit Alexander Pontifex III. & Cantuariensis Archiepiscopo rescribens, prohibuit has exactiones, sub pœna amittendæ indulgentiæ talibus Collectoribus concessæ; aut, ut volunt aliqui, sub pœna amittendi beneficij sui, aut, ut melius putant alij, sub pœna amittendi officij seu muneris Collectoris.

SUMMARIUM.

Pœna in illos Collectores statuta, qui novas imponunt exactiones.

Notandum. Quod sub specie tributorum non debeant illicitæ exactiones fieri: *Glossa hic. V. gravatis;* & meretur privilegium amittere, qui permilla sibi ab utitur potestate cap. privilegium 63. cap. 11. q. 3. ne dum quarunt aliena, ut ait *Glossa finalis hic,* amittant sua, Et quantum hujus cap. hodie non fit in Anglia usus, si tamen extenso fiat generaliter ad omnes Collectores, pœna statuta usum habere potest.

CAPITULUM XIII.

Significavit.

PARAPHRASIS.

Ad Regimen alicujus Ecclesiæ presentatum Monachi quidam Clericum quendam, juramento eum obstringentes de solvendo eisdem annuo censu, quem a ecclesia solverat: prohibuit Episcopus Diocesanus solutionem hanc, nisi prius confiterit, Episcopali autoritate impositum esse: Papa tamen Lucius III. ad quem res hæc delata fuit, delegato suo mandavit, ut si confiteri auctoritate Episcopi, & non de novo censum constitutum fuisse, prohibicionem relaxare, Episcopum faceret: si vero de novo census hic sit impositus, sive auctoritas Episcopi intervenerit, sive non, si ne juxta tamen causa, & alijs requisitis ad alienationem pertinentibus, Monachos compellat, appellatione remota, ut juramentum dicto Clerico remittant. Videatur de hujus Juris longiore explanatione c. 3. & 7. h. t. & quæ dicuntur ad cap. 27. de jurejurando.

